



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt III. Cæsaris & Gallorum intentio. Res agitatæ in Aula Gallicana de
Religione & Concilio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11665

vbi censeret Synodus, cunctationem aliquam profuturam, Regem 1562.
 minimè repugnare; ita tamen, vt Aualus Hispanis Patribus palàm
 fecerit, mentem Regis non esse, eorum conscientis^p onus imponi: ^p Extat in
 proinde si moram opportunam existimarent ad præstolandos Ger-
 manos aliosque Hispanienses, qui propediem accessuri erant, id
 Regi molestum haud futurum; sin minus, & in eo & in reliquis
 omnibus prosequerentur quidquid Ecclesiæ conducibile putarent.
 Verùm Antistites illi nihil magis oderant quàm dilationem, vt quæ
 ipsis adimebat priuata suarum sedium commoda, nec honorificis
 momentosisque publicæ auctoritatis exercitationibus ea compensa-
 bat. Quare firmum præ se gerebant animum ad progrediendum:
 & quemadmodum in rebus magis odiosis hædissima semper species
 obtenditur, aiebant moueri Regem ad prolationem à Cæsaris po-
 stulatis, & à Cæsare illam peti non ex fiducia flectendi Protestantes
 ad Concilium in futuris Comitibus, sed ex cupiditate eos sibi alli-
 cendi ad electionem à se conquistam, quâ eius filius Romanorum
 Rex constitueretur; & ad quam existimabat eos non facile addu-
 ctum iri, si Tridentinis proscriptionibus, eius consensu habitis, illi-
 denuò percellerentur. Quicumque molestè fert Principis actiones,
 lenire ægritudinem solet, eas ambitioni vertendo; siue id fiat ex ve-
 risimilitudine insimulationis, siue quia, cum Politica quædam sit
 ars quam perpauci probè callent, sibi quisque arrogat facultatem
 eius concipiendæ, suoque arbitratu exprimendæ.

C A P V T III.

*Cæsaris & Gallorum intentio. Res agitata in Aula Gallicana
 de Religione & Concilio.*

1 **E**X eo etiam acerbior huiusmodi mora Patribus videbatur,
 quòd Drafcouizius, qui eam ardentissimè flagitabat, simul
 aiebat^a, Comitibus non ante Augustum mensè esse celebra-
 da. Idcirco Legati parabant missionem cursoris ad Delfinum Nun-
 tium, quò is clauum illum validis ictibus intruderet; sed ea necesse
 non fuit. Iam ille ex superioribus Legatorum Pontificisque man-
 datis exposuerat Cæsari, quàm esset & difficilis & importuna Epi-
 scoporum diuturna ibi retentio cum Ecclesiarum suarum detrimen-
 to, & absque vniuersali expetito adiumento. Id nonnisi cum eo-
 rum indignatione, probroque Reipublicæ Christianæ fieri posse.
 Quare Ferdinandus respondit^b, Se recti desiderio, & æquis ratio-
 nibus impulsus, petiisse vt res protraheretur; sed vbi Patres ob

^a In epistola
 Oratoris ad
 Cosmum
 Duces, 9. A-
 prilis 1562.

^b Literæ
 Delfini ad
 Legatos,
 30. Martij,
 visæ ab Ora-
 tore Floren-
 tino, vt is in
 prædicta epi-
 stola testatur.

1562. alias æquiores rationes id noxium putarent, suis certè conscientis obtemperarent. Et sanè etiam ante huiusmodi officia, Cæsar abiectâ tandem spe flectendi ad Concilium Protestantes, per seipsum cognouerat, par non esse, vt bonum illud, quod fieri poterat, amitteretur, quò illud expectaretur, quod fieri non posse planè videbatur; & idcirco suos ad Oratores scripserat^e, sibi iam satisfactum fuisse, quòd Synodus cum aperiretur, abstinuisset ab odioso vocabulo Continuationis, quodque in prima Sessione dogmata non attigisset, quòd facilius Protestantium accessus redderetur, quibus concessâ à Patribus securitatis formam sibi summoperè probari: in posterum lentius se gererent Oratores in procuranda huiusmodi decisionum mora. Quòd si Patribus satius videretur progredi, eorum iudicio ipsi acquiescerent.

^e Litteræ Cæsaræ ad Oratores Pragâ, 13. & 22. Martij 1562.

Maiores ac mordacior fuerat sollicitudo ad id vsque temporis, de iis quæ intendebantur & agebantur à Gallis; non quidem quòd Pontifex tam ægro iratoque in eos esset animo, quàm is qui depingitur à Suauis: hic enim, gnarus iram à despectu excitari, libenter ac sæpè Pontifices inducit iratos, quòd despecti credantur. Certum est, in cunctis responsionibus & Gallici & Tridentini Legati ad Borromæum animaduerti, significatam ab eo ipsis fuisse animi alicritatem in Pontifice ob recentes illius Aulæ nuntios, quippe multo tolerabiliores iis, quorum timorem incusserant vniuersales præfagitationes prius decantatæ. Adhuc tamen animis pendebant Legati, quòd ne vnum quidem illinc adeuntem Concilium viderent, quodque etiam Ferrariensis cohortatus eos fuisset^d ad necessarium quasi consilium, quo exoptatus hugonottorum ministris color auferretur ne illuc accederent, vt ibi quæcumque Continuationis declaratio vsque ad Synodi exitum declinaretur. Sed epistola Regis ad Insulæ dominum, eius Oratorem Romæ, peruenit, ob quam Pontifex magnoperè gauisus est, eiusque exemplar^e ad Legatos misit. Dicebatur ibi, Regem haud laborare, an Continuatio, an noua Denuntiatio Synodus inscriberetur, nec magni pendere hæc subtiliora, de quibus audiuerat Tridenti disceptari; vnde colligi à Pontifice, inter administratores Galliarum, & Protestantes, eam coniunctionem non intercedere, de qua dubitabatur, præsertim ob nescio quam legationem inter illos postremò susceptam; ex qua coniunctione obex maximè formidabilis prospero Concilij progressui ac successui imminere potuisset. Metum inquam huiusmodi hæc regia epistola mitigauerat: etenim in comperto satis erat, nulli rei aduersari acrius Protestantes, quàm antea actæ Synodo, eiusque continuationi.

^d Litteræ Ferrariensis ad Borromæum.

^e Exemplar est in epistola Borromæi ad Legatos, 1. Martij 1562, cui ipsi 19. respondent.

Historia
Concilij Tri-
dentini
pars II.

SIV

nuationi. Adiecerat ibi Rex, esse sibi in animo, Concilio committere controuersias quæ de Religione nascebantur; adeoque per ea verba illius auctoritatem ac legitimam efficaciam agnoscebat. 1562.

3 Sed non propterea hæc epistola spinam omnem è Legatorum animis euellit. Obseruarunt ipsi, priores voces, recitatas de nominatione huiusce Concilij, alligatas esse huiusmodi conditioni, *dummodo fructus, quem Rex sperabat, & cuius indigebat ipsius regnum, posset inde prouenire.* Quapropter cum innotesceret, religionis tumultus in Gallia regno non minus oriri ex opinamentis diuersis de articulis iam decisis in conuocationibus prius habitis, quam de pendentibus, potuisset Rex per eam conditionem uelle significare, ut illic denuò de rebus iam definitis disceptaretur: & eidem interpretationi altera particula subiacebat, cum dilucidè uideretur ea loqui de controuersijs religionis, in eiusdem Regis ditione feruentibus. Quare cum ipse uellet ea Synodo reponere, adeoque uellet, ut de ipsis Synodus disputaret, uidebatur hinè uelle, ut de quæstionibus semel decisis disceptaretur. Verùm tamen Legati in hanc persuasionem deuenissent, & cum eorum præfatio præfagium Pontificis concordaret ^f (quod palàm dissimulauit, ne Gallis ostenderet se in suum detrimentum ea uerba interpretari) reuera tamen Gallia Religionis negotia meliori, quam spes fuerat, procedebant uia.

4 Et quemadmodum apud quemlibet euentus ipse, maximæ tandem auctoritatis, iudex est actionum; ita plurimum id ualuit ad abstergendum in animo Pontificis quidquid turbidi in Gallia Legatum contractum erat. Quamobrem & per se coram illius Actore ^g, & per litteras, Borromæi manu ad illum scriptas, sincerum erga ipsum in se animum patefecerat; per speciem tamen eum commendantis, quòd conuentui tamquam Regis Consiliarius non interfuisset, sicuti iam in ancipiti illum fuisse narrauimus, ad Catholicam ibi causam sustinendam: ipsum monuit, ne unquam quauis de causa se trahi sineret in huiusmodi conuentus; id quippe sinistris hominum sermonibus nimis esset obnoxium. Quòd monitum cum Ferrariensis interpretaretur quasi urbanam tacitamque reprehensionem, quòd interfuisset colloquio Poissiacensi, uoluit ipse pariter tacite se purgare, responditque, Semper se obtemperaturum; sed ubi grauissima incidisset necessitas, sibi persuadere, prudentis esse consilij, discrimen subire obloquentium in se linguarum, quòd mala deuitarentur, quemadmodum ipse iam egerat, cum colloquium illud habitum est; de quo exquiri poterat à Doctoribus Catholicis, quantum ibi roboris ex ipsius aspectu illi traxissent.

^f Litteræ Borromæi ad Legatos, 29. Martij 1562.

^g Apparet ex epistola Legati ad Vicecomitem, Actorem suum, & ex altera ad Borromæum, 23. Februarij 1562.

Rex

1562.

b Variæ litteræ Legatorum ad Borromæum, 23. Februarij, & 14. & 18. Martij, & 6. Aprilis 1562.
i Cuncta constant ex dictis litteris, & ex aliis eiusdem Legati eotempore.

k Litteræ Legati ad Borromæum, 28. Martij 1562.

l Litteræ Legati ad Borromæum arcanis notis, 3. Martij 1562.

m Litteræ arcanis notis Legati ad Borromæum, 8. Martij 1562.
n Eiusdem ad eum dem litteræ, 6. Aprilis 1562.

o Litteræ prædictæ, 23. Februarij.

Rex Nauarræ & voce & operâ non desistebat fauentem Catholicis animum præ se ferre^b; spe scilicet delinitus, quod eâ ratione impetraturus esset à Philippo Rege, Pontificis impulsu, expetitam à se compensationem, simulque legationem Auenionensem fratri suo Carolo Cardinali, qui eam enixè cupiebat, & cui post Concilium eadem fuit concessa. Quamobrem Pontifex, confirmatâ per litterasⁱ Carolo suâ illi gratificandi voluntate, omnem interim mouebat lapidem, vt Farnesius Cardinalis, qui tunc illam legationem gerebat, eam per aliquam compensationem haud grauatè relinqueret; & mandata Nuntio Criuello iterabat ad rem Antonij Regis promouendam, in quem Philippus & administri propensionem animi præ se gerebant. Ille verò, vt pote supremus rerum administrator, iussionem vulgari^k, quâ indicebatur cunctis nouæ sectæ aſſectis Lutetiæ Parisiorum, vt arma deponerent, atque inde discederent quotquot ibi negotio non dabant operam: qui verò famulabatur Regi, ad tribunal se sisteret: vt proinde re ipsa Condæus Princeps, Antonij frater, ratus suam infra conditionem esse se sistere, satius habuerit cum quingentis viris illius factionis inde secedere.

Quin in quodam regio colloquio^l eò progressus est Antonius, vt 6 diceret, tot Religionis turbas in Gallia nequaquam fore, si Tribunal Inquisitionis ibi, iuxtâ ac in aliis regionibus, haberetur. Quo illic audito, Castilionensis Cardinalis, tetra fece iam tinctus, in ea responsa prorupit, Qui huiusce rei auctor esset, nâ illi emolumenta Gallie cordi non esse. Sed alter per acrimoniam imperantis reposuit, Emolumenta regni multò impensius à se curari, qui regij sanguinis gradum, ac successionem in coronam obtinebat, quàm ille, qui utroque profus carebat. Et quoniam compertum erat, illius hominis in Aula præsentiam suspectam esse in rebus religionis^m cum Pontifici tum Philippo Regi, effecit vt inde discederet, quò ex huiusmodi præmissa bona consecutio deduceretur nouæ missioni, hominis à se in Hispaniam Legati.

Vxor quoque Regis Antonij discesseratⁿ: & quamquam illa ex 7 atroci in Fidem Catholicam odio prohibuisset Henrico, suo inter liberos primo, interesse Sacro, adiectâ pœnâ, à se illum neque pro filio neque pro herede habitum iri; pater tamen eum catholicè educandum edocendumque curabat. Noua præterea parabatur affinitas, profutura conciliandæ Antonij multorumque Gallie Procerum gratiæ, ad prosperum Concilij progressum: ea erat coniugium^o quod agitabatur, ac postea confectum est, inter eiusdem Antonij sobrinam, viduam relictam Ducis Nouioduni, amplæ ditionis heredem,

redem, & Ludouicum Ducis Mantuani fratrem, & nepotem ex fratre Cardinalis, in quem, tamquam primum inter Synodi Præsides, illius moliminis præcipua gloria recidebat. In Parisiensi pariter Consilio ingens religionis studium deprehendebatur, auctum ex sanctione habita in Consilio regio^p, ne cuiquam alterius sectæ liceret regij administrari munus obtinere. Quapropter iidem ipsi, qui in Parisiensi Consilio claudicauerant, tam constanter postea pedem defixerant in præscripta illis rectè agendi ratione, vt idem Consilium veritum non fuerit repugnare regis iussionibus de promulgando antea acti conuentus edicto, tametsi hugonottis præparcè indulgeret, sicuti narratum est; institeritque diuturnâ perseverantiâ, vt omnis agendi facultas seu voce seu manu illis omnino adimeretur, concionibus armisque interdictis. Ad quæ respondebat Regina, optimum id futurum, vbi fieri potuisset; sed quod fieri nequit, solum bonitatis fucum præ se ferre. Quare per laborem plurimum illa tandem Parisiense Consilium ad imperatam promulgationem pertraxit^q.

8 Pro ea studij in Fidem Catholicam mensura, erat animorum propensio in Concilium ad eam sustinendam coactum. Lustranda Regiæ Legatus obtulerat Decreta primæ Sessionis^r, & quæ secundæ decernenda proponebantur: cumque illa per opportunitatem inuisendi Legati ægrotantis (quemadmodum sæpè consueuerat) illi significaret, à postrema illa sanctione, de concedendo per fidem publicam securo ad Synodum accessu, ob quamdam particulam ibi positam, dummodo ex corde redeant, iniectam fuisse suspicionem, quasi mens esset, illis dumtaxat securitatem concedi, qui per pœnitentiam respiscerent, à Legato certa de opposito reddita est, cum ea conditio ad veniam, non ad securitatem referretur; quod in ipsis datæ securitatis tabulis eò delatis Regina postmodum comperit, iussitque eas illic^f promulgari, ac typis imprimi. Præterea, quamquam Angliæ Regina feruidis illam officiis instigaret ad retardandam suorum missionem ad Concilium, ne validior flamma succenderetur^t, ipsa tamen numquam aggressionibus cesserat; quin eò legationem iam inde vsque ab exitu Februarij demandarât Lانساقو, qui tunc Romæ Regius Orator degebat, cuius electioni Legati etiam hortamenta profuere. Etenim cum ad eam legationem destinarentur varij Proceres, qui variis excusationibus se labori subdlexerant, visum est Legato, certius rem perfici posse, si ea missio committeretur eiusmodi viro, qui cum iam esset in Italia, adeoque commodis negotiisque familiaræ minimè compeditus, operi præstò

Pars II.

B b b b b

foret.

1562.

^p In iisdem, & subsecutis litteris.

^q Litteræ Legati ad Borromæum, 8 Martij 1562.

^r Litteræ Legati ad Borromæum, 23. Februarij 1562.

^f Epistola Legati ad Borromæum, 13. Aprilis, missa 28. 1562.

^t Variæ Legati litteræ ad Actorem suum, & ad Borromæum, præsertim 27. Februarij 1562.

1562.

* Epist. Legati ad Borromæum, 6. Aprilis

1562.

* Epist. Ferrariensis ad Borromæum, 17. Aprilis, & retenta vltimè ad 28. y Litteræ memoratæ 23. Februarij, & 13. April. Legati ad Borromæum.

* Litteræ Legati ad Borromæum, 28. Martij, & 8. April. 1562.

* Prædictæ Legati litteræ.

* Ex variis litteris Legati ad Borromæum.

foret. Accidit tamen, vt per vias, dum is rediret in Galliam, litteras^a acceperit: quare cœptum iter profèqui voluit, quò luculentius de hac præterita legatione rationem redderet, & mandata caperet de futura. Quod quibusdam ansam ad dubitandum præbuit de iussione aut simulata aut reuocata; sed contrarium patefecit euentus: ille siquidem optimis de mente Pontificis^x, Synodique processu narrationibus habitis in Aula, illuc medium circiter Aprilis missus est.

Pontifex litteras suas ad Reginas Angliæ & Scotiæ scriptas arcano miserat ad Legatum^y; ita tamen, vt illis vtendum ipsi non esset, nisi præuideret, eas laudem ab effectu, non dedecus recepturas: ipse vero rescripserat, se de Scota sibi polliceri, præsertim accedentibus apud eam officii Guisiorum, non quidem ab illa missum iri ad Concilium vllum hominem vniuersæ Scotiæ nomine, cum illic omnis in aperto religionis vsus sublatus fuisset, sed proprio Reginæ nomine; non æquè de Angla se confidere. Verum esse, ab eius Oratore in Gallia, quamuis hæretico, animum præferri, ad mittendos ad Synodum illius regni homines pronum^z: cumque ille Reginæ suæ id suaderet, ad quod à Galliæ Regina pariter impellebatur, petebat vicissim, vt operâ Gallicæ Reginæ ac Legati, Synodi progressus retardaretur, donec Elisabetha certum consilium suscepisset. Hæc Legatus.

Et in ea postulanda mora firmius hæsit Galliæ Regina^a; quoniam Lotharingus Cardinalis, qui ad Aulam venerat, illam comprobauit. Quare Gallia, quæ Pontificem etiam tunc ad Concilium, eiusque maturationem supra reliquas nationes stimularat, contestata, si res protraheretur, necessitatem sibi consulendi per propriam nationis Synodum; nunc, cum illi Pontifex indulgisset, celeritati resistebat, morasque flagitabat. Hinc licet vnicuique intelligere, quænam sit conditio Pontificum erga Principes laicos, non solum inter se dissidentes, vt proinde inuitabilis sit alicuius ex ipsis indignatio; sed sibi ipsis repugnantes, vt idem breui tempore velint ac nolint: adeoque cum vtraque contradictionis pars effici nequeat, semper quidquid mali contigerit, bonique defuerit, tribuatur alteri partium quæ facta est, fingaturque omnis salus ac felicitas in altera quæ prætermissa.

Galliæ Præsules crebros stimulos à Regina Legatoque sibi adhibitos senserant^b, vt ad Synodum pergerent; sed sine fructu. Voluit tandem primus omnium opus aggredi ciuitatis primariæ Pastor Anastasius Bellaius, Parisiensis Episcopus, qui Tridentum peruenit decimo-

decimoquarto Aprilis; sed in turbulenta incidit tempora, cum Synodus præferendis contentionibus æstuabat, quæ multis hominibus, non modò præsentibus, sed longinquis, offensionis materiam suppeditarunt: quamquam reuera eadem contentiones, postea perpensa ab animis, neque ex nimia commotione perturbatis, neque ex inopia peritiæ immoderatis, & idoneis ad discernendam exaggerationem famæ à rei veritate, possint in argumentum augendæ Religionis conuerti. Etenim discordiæ ac rixæ zizania sunt, quouis tempore in Ecclesiæ campo germinantia, etiam ab Apostolo Paulo per suas obiurgationes indicata, & à Deo permessa viris perfectis ad patientiam, imperfectis ad animi demissionem exercendam, cunctis verò ad euidentem intelligentiam subiectionis, quâ vni Principi obtemperetur; cum experimento compertum sit, dissensionem vt in vno esse non potest, ita non nisi ab vno accipere frænum posse. Et ex altera parte, quænam luculentior habeatur confutatio illius seruitutis erga Pontificem, ab hæreticis ac Suaui tam studiosè appetitæ huic Concilio, ad irritam eius Decretorum auctoritatem reddendam, quàm ex eo, quòd contentiosum ac tumultuans apprehendatur vel in iis, quæ in rem Pontificis erant; ita vt non Episcopi modò, sed ipsi Legati inter se discordarent? atque id, etiamsi tanta cuique libertas esset, vt hinc Simonetta Legatus, hinc eius frater Pisauriensis Antistes, eiusdemque mentis socius, sibi acriter aduersarentur? Proculdubio pax locum obtinere potest inter eos, qui solutas adhibent manus, sed numquam bellum inter eos, qui catenis obstrictas habent. Ad rei narrationem veniamus.

C A P V T I V.

Primum caput de necessitate residendi expensum. Contentiones, animorum dissidia, ac tumultus; ea de causa in Concilio excitata.

Primus è duodecim articulis propositis, sicuti memorauimus, erat de procuranda ab Episcopis, aliisque Curionibus, mansione apud suas Ecclesias, ac de obstaculis amouendis. Hoc argumentum compluribus occasionem præbuit, per ferias sanctorum dierum, iterum cogitandi ac loquendi de quæstione suscitata, sed omissa in Concilio Pauli III. (vtar interdum hac loquendi formâ, tametsi minùs propriâ, vtpote consuetâ iis etiam, qui continuationem propugnantes, vnicum agnoscebant in re Concilium, sed varius illud vocibus significabant; pro temporum & congregato-

B b b b 2 rum